



Biblioteca Valenciana



31000005094936

JUSTI VINDICII
RELATIO
DE DISPUTATIONE

Quam habuit

IN VALENTINÆ ACADEMIÆ SACELLO.

GREGORIUS MAJANSIUS
GENEROSUS , ET ANTECESSOR
Valentinus,

Pro intellectu vero §.est autem 3.

Inst. Imp. de rer. div.



COSMOPOLI.

Apud Liberalem Evangelum, sub signo Lunæ,
& Canum. Anno 1725.

Q. HORATIUS FLACCUS;
Epist.lib.2. epist.1.

*Diram qui contudit Hydram
Nota que fatali portenta labore subegit;
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infrasæ positas: extinctus amabitur idem.*

C. VELLEJUS PATERCULUS,
Histor.lib.2.

*Naturaliter audita, visis laudamus li-
bentius; & præsentia, invidia; præterita,
veneratione prosequimur; & his nos obrui,
illis instrui credimus.*

LECTORI VERITATIS AMANTI
Justus Vindicius S.D.

NArro tibi recentem historiolam, Lector
amans veritatis. Præpara jam evangelia.
Meministi optimè Plautinum illud:

*Istic est thesaurus stultis in lingua situs,
Ut quæstui habeant male loqui melioribus.*

Nempè (uti dixit ille alter Comicus)

*Homine imperito nunquam quidquam injustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*

Minimè igitur mirabere , superioribus proximis
diebus vanissimos fuisse rumusculos, quibus tra-
ducebatur vulgò Propositio quædam, quam CL.
Greg. Majansius, ingenio egregio adolescens, ju-
dicioque mirabili , juris & antiquitatis peritissi-
mus ; discipulo suo tradidit, ut eam publicè de-
fenderet. Alii (semper excipio prudentes viros)
Propositionem, ridiculam; alii , falsam ; & , qui
magis erant benigni, censuerunt , puerilem. Illa
verò pertinebat (ut apparebit postmodum) ad
quæstionem Physico-legalem , in qua à veritate
aberrarunt omnes Juris interpretes ante Jose-
phum Averanium, Antecessorem Pisanum, Jure-
consultum eximum, nostrique seculi ornamen-
tum. At non ita putavit maleferiatus homo, qui
quo tempore debebat suum edocendæ juvenu-
tis officium exequi, Propositionem subscriptam
manu CL. viri Rectoris Academiæ , postique
affixam (ut solet fieri) ita ut de plano rectè legi
posset , ausus est (indignum facinus!) scelerata

manu refigere , ostentare deinde in ipso foro
maximo , per multorum domus circumferre,
eamque irridendam , sibilique explodendam
proponere. Ubi, Sancte Pudor, moraris! Eheu in-
dignitas! Impudentia regnat. Neque constitit ibi
petulantia. Hæc tolerabilia essent. Conjuratio
inita est à Professoribus aliquibus. Conventum
est, ut quo die Propositio defendenda esset (erat
autem is , decimus quartus calendas decembres
elabentis anni MDCCXXV.) adessent cuncti
(etiam non invitati) depressuri (ut insolenter
dictabant) Majansii audaciam præcipitem , &
temeritatem inconsultam. Præterea Scurra quæ-
situs , qui Satyrum ageret , qui que Comœdiam
renovans priscam, veluti de plaustro conjiceret
dicteria indigna , quibus quasi digito ipso de-
monstraret Gregorium Majansium , adolescen-
tem modestum , optimè de bonis literis , & Ju-
risprudentia meritum. Advenit dies Disputatio-
ni præstitutus. Horâ solitâ adfuit convocata ma-
nus congerronum. Adfuerunt etiam (officii &
humanitatis caussa) prudentissimi viri. Ergo iis
omnibus præsentibus irritoria quædam velitatio
inita. Sequuta deinde pugna multò indignior.
Grammaticorum subscriptiones prolatæ pro re
minimè obscura , lippis , & tonsoribus nota.
Novum disputandi genus , & ante hunc diem
inauditum! Nihil adversus id quod propugnaba-
tur dictum est , præter convitia & contumelias,
quibus apertè petebatur Greg. Majansius. Ipse
aderat ; & quasi surdo fabula narraretur , despi-
cie-

ciebat omnia : donec redeunte re ad triarios, cùm videret, etiam Antecessorem in se furere palam; postquā ille evomuit quod stomacho libuit, sedato animo surrexit, &, ut id quo de agebatur, intelligeretur, atque impugnari posset , petità ab omnibus veniâ, differere cœpit, modestè, & comiter: neque enim aliter scit. Non tulere id conjurati; & omnis humanitatis , gravitatique loci immemores nuda & inania reliquerunt sedilia; jusséruntque, ut ii derelinquerent, qui disputaturi erant, cumque iis etiam adolescentulorum imprudentium audacissima cohors. Tunc Greg. Majansius voce clarâ inquit. *Abeant, abeant à nobis. Non deerunt viri prudentes, qui me audient.* Quæ cùm indignatus dixisset, existimavit actus postremi suas esse partes , in quibus ipse noluit, deesse sibi. Igitur differere cœpit adeo copiosè, eruditè, & eleganter , incredibili utens moderatione animi, ut quovis pretio redimenda ei hæc occasio fuisset , quâ , tot egregiis viris prælenti- bus , ingenium ejus , & extemporalis facultas maximè enituit. Nec disputationi longissimæ, quam imparatus habuit, tam citò finem impo- suisset, nisi anhelitum ægrè jam trahens (sed ani- mo semper vivido) ab amicis palam admonitus, rogatusque, ut sibi vellet consulere , morem hu- maniter gesisset. Qui dies ille mihi, Deus immor- talis! Ut ægrimonía maxima versa in incredibile gaudium! Hoc tantùm dolui, quòd noluisset in- vidia, testem esse. Quòd cùm ægrè ferrem , cùm ivisse possea gratulatum Greg. Majansio , hor-

tari cœpi, & orare , per amicitiam nostram , &
discipuli jus (quæ mea gloria præcipua) ut mihi
vellet dictare , quæ sibi in mentem venirent ex
multis rebus, quas dixit, quò posteritati manda-
retur tam egregia doctrina. Tum subindignatus
ille. Apage te, Juste , cum tuo pessimo consilio.
Adeo caußæ meæ diffidis , ut diligentiam hujus-
modi desideres? Desuntne alia monumenta, qui-
bus benè merear de posteris? Fugitne te ratio?
Non tibi venit in mentem , judicaturos multos,
dolori mihi fuisse , quòd Lucumones illi reli-
quissent sedes; cùm è contrario mihi gloriosum
atque jucundum fuerit, quòd non modo hiscere,
me loquente; sed nec me audire ausi sunt? Facile
mihi esset, redigere homines ad incitas. Sed quid
tum postea? Quæ deinde gloria ? Considera, quæ-
so, quos disputatione Scævolas vincerem. Crede
an hi, Juste. Non hic doctrinâ, sed ferulâ opus est.
Quippè quæstionem Physices longè difficilli-
mam, quæ prius expedienda fuerat , ad contro-
versiam legalem decidendam , quæ in ambigi
caußam incidit , Grammaticorum calculis (vide
quos Pythagoras, à quibus dissentire nefas) exis-
timarunt definiendam. Ab his ergo cum bona pa-
ce: & cogita potius, quâ ratione invidi mei ma-
levoli, tam bene cupiant mihi , quam ego illis.
Quod si pertinaciter nolunt , redire in gratiam
cum pueris fac ita agi , ut æquum est. Cui;
rei poteris abhibere Cocum meum Bellisonum,
qui ut Mercator ille Cujacii Lorariorum advo-
cet, necessarias operas. Amo nimis eos, & viros
ye-

velim evadere. Quod ad me attinet, obtrectent,
maledicant: sinito illos. Plautinum illud memo-
ria teneo, & observare vellem.

Virtute ambire oportet, non favitoribus.

Sat habet favorum semper qui rectè facit.

Hæc Greg. Majansius amicè me dimittens. Sed
cùm ego postea viderem, nihil esse quin male
narrando depravari possit; cùm mille audirem
fabellas de Propositione defensa; cùmque indig-
narer multorum (ut inquit Cicero) tantam per-
versitatem esse, ut inventis frugibus, glande ves-
cantur; rem putavi dignam facturum meo egre-
gio amore in Greg. Majansium, si aliqua ex iis,
quæ ille publicè differuit, memoria repeterem,
& scriptis mandarem. Scio me rudi stylo illatu-
rum insignissimam injuriā Disputationi ejus,
cùm minimè possim differere eā copiâ, & elo-
quentiâ, qua ille dixit ex tempore, oratione la-
tinâ bene longâ. Sed, ut æquo animo tulit, pu-
blicè derelinqui à sannionibus, veluti Catilinam
aliquem Literariæ Reipublicæ; ita patienter fe-
rat, à me nunc minui (procul ab omni fraude)
ejus orationis dignitatem. *Cujus sententias* (ut
cum A. Gellio dicam lib. 12. Noct. Attic. c. 1.) *Cujus*
sententias, inquam, communis utilitatis gratia
quantum meminisse potui retuli. Amœnitates verò
& copias ubertatesque verborum Latinae omnis fa-
cundia vix quidem indipisci potuerit, mea tenuitas
nequaquam.

(1)
GREGORII MAJANSII GENEROSI,
 & Antecessoris Valentini,
 Pro intellectu vero §. est autem 3.
Inst. Imper. de rer. div.
DISPUTATIO.

* Hæc
ubi dic-
ta conti-
git me-
morabi-
lis (ecef-
sio.



D triarios videtur redissie res.* Itaque cum veniâ vestrâ pauca dicam. Inter eas res quæ communes omnium hominum manse- runt post distincta à gentibus dominia rerum, recensetur Litus ab Imperatore Justiniano, §. Et quidem 1. §. lito- rum 5. *Inst. de rer. div. l. quædam* 2. §. Et quidem 1. l. nemo 4. l. riparum 5. §. in mari 1. junctâ l. *Aristo* 10. de div. rer. l. litora 5 1. de contr. emt. l. hoc edicto 1. §. quod si 18. de oper. novi nunc l. fluminū 24. de damn. inf. l. quod in litore 14. l. præscriptio 45. de usurp. Et u- suc. l. injuriarum 13. §. si quis 7. de injur. l. litus 112. de verb. sign. quæ leges omnes temperari debent per l. quamvis 50. de adq. rer. dom. l. litora 3. l. in litore 4. ne quid in loco publ. Illud autem jus quod in litore habent omnes homines, tunc intelligetur rectè, quâ in re sit, cùm, quid sit litus, de- claratum fuerit. Quod dum breviter expedio, quæso, diligenter attendite.

M. Tullius in Topicis ita scripsit. *Litus solebat Gallus Aquilius per translationem definire, qua flu- etus eluderet.* Aquilium videntur aliqui Jurecon- sulti sequuti. Ait enim Quintilianus lib. 5. de Inst. Orat. cap. ult. Sæpè plurimum lucis affert ipsa trans- la-

latio, cùm etiam Jurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, litus esse audiunt dicere, qua fluctus eludit. At Celsus maluit propriè definire litus. Litus, inquit, est quo usque maximus fluctus à mari pervenit: idque M. Tullium ajunt, cùm arbiter esset, primum constituisse, l. litus 96. de verb. sign. Propè verbis iisdem Justinianus definivit in §. est autem 3. Inst. de rer. div. Est autem, ait, litus, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. Id est. Terra, vel arena, quæ maximo hiberno fluctui subjacet. Maximus fluctus est, quo nullus aliis est major, arg. l. proximus 92. de verb. sign. Hæc nemo dubitat. Difficultas est, quomodo explicari debeat in definitione Justiniani *hibernus fluctus*, ut significet maximum. Hoc non est ita expeditum, ut à veritate non aberrarint interpres omnes ante Josephum Averanium, Antecessorem Pisanum, Jurisprudentiæ decus eximum, & nostri seculi gloriam. Sed, quoniam vir egregius ita scribere videtur in hac disputatione, ut, veluti Mercurius quidam, stylo suo solum designet veritatis viam, ignotam aliis; tale indicium nactus, sequar illam; & omni, qua potero, diligentia, complanabo nunc, quò volentibus eam adire, nullæ posthiac salebræ occurrant. Incipio jam.

Cùm ab *hieme hibernus* derivetur, ut propè omnes docent etymologi, videndum prius, quid significet hiems: nam ita postulat recta methodus. Vox *hiems* variæ significationis est. Frequentissimè significat unam ex quatuor partibus anni.

Ex innumerabilibus testimoniis hoc unum feligō
ex P. Ovidii *Remedio Amoris.*

*Poma dat Autumnus: formosa est messibus Aētas:
Ver præbet flores: igne levatur hiems.*

Significat etiam aliquando sex menses anni frigidiores, diviso anno in duas partes, quarum una dicitur *Aētas*, altera *Hiems*. Suetonius *in Aug. cap. 72.* Per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme, & estate mansit; quamvis parum salubrem valetudini suæ urbem hieme experiretur, assidueque in urbe hiemaret. Consulatur idem Suetonius *in Claudio, cap. 23.* Eandem divisionem anni respexit Plinius videtur *Nat. Hist. lib. 8. cap. 25.* Certè eodem modo annum divisit, ejusque partes nominavit Jureconsultus Ulpianus. Nullo modo possum præterire ejus elegantissima verba. *Aētatem* (inquit) incipere sic peritiores tradiderunt, ab æquinoctio verno, & finiri æquinoctio autumnali. Et ita sensis mensibus aētas, atque hiems dividitur, l. ait 1. §. aētatem 32. juncto §. duo 3. vers. cotidiana, & seq. de aq. cot. & l. malum 242. §. ult. de verb. sign.

Significationes alias audaculas (apud Poetas præsertim) hiems habet. Letalem hiemem Ovidius dixit, pro mortis frigore *lib. 2. Metam.*

Sic letalis hiems paullatim in pectora venit.
Martialis noster aliquanto insolenter pro frigore accepit *lib. 2. epig. 46.*

Tu spectas hiemem succinti lentus amici.
Sed multò audacius Januarium vocavit hiemem *lib. 9. epigr. 2.*

Dum

*Dum Janas hiemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit aestates.*

Similia exempla prætereo. Illa significatio in primis stabilienda est, utque frequens probanda, quam audacter negari paullò ante audivimus, nimirum certe confidentiâ, nullâ antiquitatis lectione. Itaque assero altâ voce, significare hiemem solere tempestatem aliquam, sive sit imbrium, sive ventorum, sive maris etiam.

De tempestate imbrium Virgilius lib. 9. Aenei.

..... *Pugna aspera surgit
Quantus ab occasu veniens pluvialibus hædis
Verberat imber humum: quā multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Jupiter horridus austris
Torquet aquosam hiemē, & cœlo cava nubila rūpit.*

C. Plinius Nat. Hist. lib. 18. cap. 35. Hæc cum sereno cœlo apparere desierit, atrox hiems sequitur.

De tempestate ventorum hæc in promtu sunt testimonia. Virgilius lib. 1. Georg.

..... *Ita turbine nigro
Ferret hiems culmūque levem, stipulasque volantes.
Et lib. 3. Georg.*

*Qualis hyperboreis aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiaque hiems, atque arida defert
Nubila, tum segetes altæ, campique natantes
Lenibus borrescunt flabris, summæque sonorem
Dant silvæ, longique urgent ad litora fluctus
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.
Denique lib. 1. Aeneid.*

*Emissamque hiemem sensit Neptunus.
Postremò hiems significat (idque latius probandum,*

dum, quia proposito maximè conductit) tempestatem maris. In primis doctus Catullus *carm. 25.* ita cecinit.

*Idemque Thalle turbida rapacior procella,
Cum dira maris hiems aves ostendit oscitantes.
Horatius tersus, & purissimus Poeta Eponon lib.
Ode 2.*

*Non me Luerina juverint conchilia,
Magisve Rhombus, aut Scari,
Si quos eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare.*

Poetarum Princeps in 3. *Georg.*

*Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo.
Idem lib. 1. *Æneid.**

*Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achate,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Aletes
Vicit hiems.*

Idem lib. 2.

*..... Sæpe illos aspera ponti
Interclusit hiems, & terruit Auster euntes.
Idem lib. 3.*

*Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber
Nocte, hiemèque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Qui versus adeo Poetæ summo placuerunt, ut
repetiverit eos lib. 5. nisi quod loco verborum,
tum mihi, substituit, *olli*, loquutionem priscam,
ad conciliandam sibi, ut solebat, antiquitatis au-
toritatem, & venerationem. Apud P. Ovidium
in Heroidibus Dido Æneæ scripsit.*

*Quo fugis? obstat hiems. hiemis mihi gratia proficit.
Aspice ut eversas concitet Euris aquas.*

Ipse-

Ipseque Poeta lib. i. Trist. eleg. 12. sic de tempesta-
te conqueritur.

*Improba pugnat hiems, indignaturque quod ausim
Scribere, se rigidas incutiente minas.*

Vincat hiems hominem. Sed eodem tempore, quæso,

Ipse modum statuam carminis; illa sui.

A. Sabinus, coætaneus Ovidii (si verus is autor est
Epistolæ Paridis ad Helenam) ita nomine Pari-
dis scripsit.

Nä neque tristis hiems, neque nos buc appulit error.

Tænaris est classi terra petita mea.

Et in Epistola Leandri ad Heronem, Leandri
nomine.

Pace brevi nobis opus es, dum transferor istò.

Cum tua contigero litora, perstet hiems.

Et paullò post.

Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.

Et in Epistola Herus ad Leandrum.

Hic puto deprensus nil quod querereris, haberes;

Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.

Et in infra.

Quòque minus venias invida pugnat hiems.

Manilius etiam, qui extremâ Augusti ætate vixisse
creditur, lib. 2. Astronomico sic de piscibus loqui-
tur.

Venturasque vident hiemes, redditura serena.

Statius Papinius lib. 3. silva 2.

....., *Visis tumuerunt pupibus undæ,*

Inque biemem surrexit hiems.

Idem Statius novitate felici igneam tempestatem

Vesuvii appellavit biemem flammeam, lib. 3. sil. 5.

Non

*Non adeo Vesuvinus apex, & flammæ diri
Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes.*

Ante Statium Papinium noster Lucanus complexus esse videtur nomine *hiemis* ventorum & imbrium tempestatem, sive naturæ fævientis inclem tam aureis illis versiculis, quibus Catonem Uticensem perquam graviter, & eleganter descripsit.

*Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam:
Nec sibi, sed toti genitum se credere Mundo.
Huic epulæ, viciisse famem: magnique penates,
Submovisse biemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam.*

Sed quid immoror ego in Poetarum testimoniosis congerendis, quorum lingnam ii qui non intelligunt odisse solent, cane pejus, & angue. Videamus nunc an Historici, eodem modo loqui. Ne vos diutius, quam decet, morer, unum testimonium proferam, quod esse possit pro millibus. Cornelius Nepos M. Ciceronis (sicut inquit Gellius) ut qui maximè amicus, familiarisque in Attici vita sic scriptit. *Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex bieme, marique scopulo so servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? Est qui audeat hiscere? Obturabit ei os Jurecōsultus Ulpianus, qui in l. suis 4. §. puto 1. de bær. inst. tempestatem maris nominavit biem.*

mem. Idemque Ulpianus in l. *si cui* 38. §. ult. *ex quib. caus.* inter caussas ex quibus majores vi- ginti quinque annis in integrum restituuntur, tempestatem maris recensuit, quam appellavit, *hiemem*. Auro quovis pretiosiora sunt ejus verba. Plane, inquit, *si infirmitate impeditus*, *continuare iter non potuit*, *habebitur ratio humanitatis*: *sicuti baberi solet* & *hiemis*, & *navigationis*, & *cæterorum*, *quæ casu contingunt*. Interpretari hiemem aude pro hiberno tempore, & efficies sententiam risu dignissimam. Enumera tempus hibernum inter fortuitos casus, & dices rem tuâ sapientiâ dig- nissimam. At enim tempestatem esse fortuitum casum, quis inficias eat? sive maritima sit, sive terrestris, l. *non exigimus* 2. §. *quod diximus* 6. junc- tis §§. seq. *si quis caut. in jud. sisti*, quibus conjungi debent l. *item* 18. *de pec. const.* l. *ex conducto* 15. §. *si vis tempestatis* 2. *loc. cond.* l. *fluminum* 24. §. *item* 9. & 10. *de dam. inf.* l. *interdum* 16. §. *si propter* 8. *de publ.* & *vectig.* Atque, ut contractius loquar, est turbo casus fortuitus, §. *cum autem* 3. *Inst. de emt.* & *vend.* adeoque ventorum violentia, l. *fluminum* 24. §. *Servius* 4. l. *damni* 43. *de dam. inf.* Est aqua- rum magnitudo casus fortuitus, l. *contractus* 23. *de div. reg. jur.* Denique tempestas maris fortuitus casus est, l. *is cui* 38. §. ult. *ex quib. caus.* l. *interdum* 16. §. *si propter* 8. *de publ.* & *vectig.*

Atque hæc dixisse sufficiat de significatione hiemis. Quæ, cùm ita se habeant, ut manifestis- mè probavi, si vim aliquam habet argumentatio à conjugatis; cum ab *hieme hibernus* deducatur, ut

prope omnium etymologorum constans opinio est, necessarium erit, ut easdem significationes, quas *biems*, vox *hibernus* admittat. Utut autem sit de derivatione illa, certè liquidum est, significationes easdem accipere. Id brevissimè nunc, & evidenter probandum est.

Hiberna tempora dixit M. Tullius. *Hibernum tempus* T. Lucretius, cuius libri sunt à Cicero-ne emendati. Eodem modo loquuta antiquitas omnis. Nostrorum Jureconsultorum testimonia invenietis facile apud eruditissimum virum Barnabam Brissonium in nunquam satis laudato ope-re *De verborum quæ ad jus pertinent significatione*.

Ad superiorem etiam significationem referenda est distinctio illa saltuum æstivorum & hibernorum, quò pertinet *l. qui saltum 67. de leg. 3. l. possideri 3. §. saltus 11. l. peregre 44. §. ult. de adq. vel amit. poss. l. ait 1. §. duo 3. vers. æstiva de aq. cot. juncto §. æstatem 32. ejusd. l.* unde superiores textus mirificam lucem capiunt.

Ad eandem etiam significationem referenda sunt quæ de militum hibernis, id est, hibernaculis, ad quæ dimittuntur exercitus, passim scriptores memorant. Testimonia omittam fastidii evitandi.

Hibernum etiam pro frigido Tibullus dixit *lib. 1. Eleg. 4. Martialis lib. 5. Epigr. 72.* Dixere etiam quam plurimi alii. Hinc Plinius usurpavit *bie-mant* pro infrigidant, *Hist. Nat. lib. 19. cap. 4. De-coquunt alii aquas, mox illas bie-mant.* Sed hæc nemo negat.

Illa

Illa significatio etiam frequentissima est, quâ vox *hibernus* significat tempestuosum quiddam, si-
ve tempestate agitatum. Quod, quia insolenter
est denegatum, evidentissimè nunc probandum
est. Horatius scriptor gravissimus Latinæ linguae
Satyr. lib. 2. satyr. 3. sic scripsit.

*In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego: tu pisces hiberno ex æquore verris.
Tibullus seculi aurei elegantissimus Poeta lib.
2. Eleg. 6.*

*Claudit & indomitum moles mare, latus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.*

Dixit etiam noster Lucanus *hibernum sidus* pro tempestuoso. Sed omittamus Poetas. Omittamus etiam argumentationem efficacem à conjugatis. Classicos adducamus testes. Petronius ille scriptor impuritatis purissimæ, elegantiæ Arbiter, ut inquit Tacitus, sic in *Satyrico* scripsit. *Utinam me solum inimicus ignis hauriret, utinam hibernum invaderet mare.* Plinius etiam, quem ego soleo appellare, Latinæ lingue ærarium, *Nat. Hist. lib. 3. cap. 47.* ait. *Ante brumam autem septem diebus totidemque postea sternitur mare Halcyonum futuræ, unde nomen hi dies traxere: reliquum tempus biemat.* (Idest, tempestuosum est.) Nec tamen sævitia tempestatum cludit mare. Piratae primum coegere mortis periculo in mortem ruere, & hiberna (hoc est, tempestatibus agitata) experiri maria. Nunc idem hoc avaritia cogit. Idem Plinius *lib. 18. cap. 35.* pro tempestuoso accepit vocem hanc *biemalis*: nam de Luna loquens inquit. *Si ante quartam non ap-*

pa-

paruerit, vento favonio flante hiemalis toto mense erit.

Vereor, Auditores amplissimi, ne nimis molestus sim in re apertissima. Reliqua, et si valde difficultia, mox expediam. Utra, quæso, significatio ex superioribus convenit definitioni litoris, quam Justinianus tradidit in §. *est autem litus 3. Inst. de rer. div?* Num *bibernus fluctus* significabit frigidum? Frigida prorsus opinio, cuius inertia ipsa per se solvitur. An significabit igitur brumalem, id est, hiberni temporis fluctum? An vero tempestuosum? Hic tota quæstio vertitur. Hoc examinandum est. Quoniam autem incidimus in controversiam ambigui; minimè dubium est, quin in definiendâ illâ sequi debeamus regulam, quam Aristoteles, Cicero, Quintilianus, & Rethores omnes tradiderunt: & illa ipsissima est, quam auro incidendis verbis proposuit Celsus (pater, ut opinor) *in ambigua 19. de legib.* Celsi verba sunt hæc. *In ambigua voce legisea potius accipienda est significatio, que vitio caret, praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit.* Hactenus Celsus omni quo potuit judicio, & elegantia. Tota igitur disputatio eò conferenda est, ut inquiratur, an *bibernus fluctus* in definitione Justiniani significet brumalem fluctum sine vitio aliquo, & ex Justiniani mente; an verò fluctum tempestate agitatum?

Affero altiori voce, *bibernum fluctum* in definitione Justiniani, non nisi vitio maximo, id est, non sine pudenda falsitate, & contra Justiniani mentem significare posse hiberni temporis fluctum. Ratio falsitatis mihi liquidissima est, qui sciam,

sciam, fluctum maximum, qualem Justinianus requirit ad constituendum litus, non debere esse brumalem. Res est hæc quæ postulat Disputationem accuratam. Dicam ea quæ nunc in mentem veniant. Favete, adeste æquo animo, & rem cognoscite.

Antiqui omnes Historici, & Philosophi (uno excepto Posidonio, de quo dicam postea) ejus opinionis fuerunt, ut sentirent, maximos æstus esse in duobus æquinoctiis; non vero in bruma. C. Cæsar lib. 4. de Bel. Gal. cap. ult. His Cæsar numerum obsidum, quem antea imperaverat, duplicavit; eosque in continentem adduci jussit; quod propinqua die æquinoctii, infirmis navibus, biemis navigationem subeundam non existimabat. Et lib. 5. cap. 7. loquens de navibus ait. Quas cum aliquandiu Cæsar frustra expectasset, ne anni tempore navigatione excluderetur, quod æquinoctium suberat, necessariò angustius milites collocavit. Catullus etiam Carm. 46. eodem alludens sic suavissimè cecinit.

Jam ver egelidos refert temores,
Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis zephyri filescit auris.

Strabo lib. 3. circa finem. Maximi æstus sunt in duabus æquinoctiis; minimi bruma atque solstitio. Plinius Nat. Hist. lib. 2. cap. 97. Per octonos quoque annos ad principia motus & paria incrementa centessimo Lunæ revocantur arbitu, augente ea cuncta Solis annuis causis, duabus æquinoctiis maxime tumentes, & autumnali amplius, quam verno: inanes verò bruma, & magis solstitio. L. Seneca Natur. Quest. lib. 3. cap. 27. Ergo, ut solet æstus æquinoctialis sub ipsum Luna,

Luna, solisque eoitum omnibus aliis major undare.
Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. cap. 70. Vitellius
primum iter sicca humo, aut modice adlabente æstu,
quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul fidere
æquinoctii, quo maximè tumescit Oceanus, rapi agi-
què agmen: T' opplebantur turmæ. Eadem freto, li-
tori, campis facies: neque discerni poterant incerta
ab solidis, brevia à profundis. Quin & Princeps Co-
micorum ante superiores scriptores ejusdem fuit
opinionis. Etenim in Prologo Rudeutis Arctu-
rum inducit sic loquentem.

Increpui hibernum, T' fluctus movi maritimos.
Namque Arcturus sum signum omnium acerrimū.
Vehemens sum exoriens, cum occido vehementior.
Addendus Plinius Nat. Hist. lib. 18. cap. 31. & Ve-
getius lib. 4. de Re mil. cap. 39. Oritur autem Arc-
turi sidus ante æquinoctium autumnale. Plinius
lib. 2. cap. 47. Sidus Arcturi, quod exoritur undecim
diebus ante æquinoctium autumni. Collumela lib.
11. cap. 2. Nonis Septembbris Arcturus exoritur.

Quæ cum ita sint, nec reperiatur unus ex omni antiquitate (solo Posidonio excepto) qui brumales æstus æquinoctialibus præferat; imo omnes dicant, multo minores esse; vera ratio postulat, ut si æquinoctiali æstui æqualis ventus, ac brumali accedat (prout fieri posse nemo negaverit) fluctus à vento exagitati in æquinoctiis multo plus extendantur, quàm in brumali tempore. Igitur si solemnī naturæ lege aliquis fluctus maximus statui debet, is non est brumalis, sed æquinoctialis potius. Tentabo hoc dicere clarius.

Fluc-

Fluctus (ut ajebat L.Seneca *Nat.Quest.lib.5. cap.1.*) est, *Maris in unam partem agitatio*. Hæc agitatio eò vehementior est, eòque magis progeditur, quo magis eam incitat ventus, à quo agitatio provenit. Fluctus igitur maximus sine dubio continget, ubi mare maximè tempestuosum fuerit, ubi mare maxime agitabitur à ventis: Hinc Virgiliana Juno submergere volens Æneæ classem,

*Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vincis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra tremunt: celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, ac temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, vertantque sub auræ.
Eademque postea ait.*

*Æole (namque tibi Divum pater, atque hominū rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mibi Thyrrenum navigat æquor
Ilium in Italiam pertans, virosque Penates.
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversas, & disjice corpora ponto.
Et mox jussa Junonis capescente Æolo,
..... Venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à fedibus imis
Una Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus; & vastos volvunt ad litera fluctus.*

Ergo

Ergo cum venti excitent procellas maris , & prout ipsi lenes , asperive sint , sic minores , maioresve efficiant fluctus ; quicumque velit affere-re brumalem fluctum esse maximum , afferere prius debebit , æquinoctiales fluctus , qui naturæ lege provehuntur magis , ut experientia patet , non posse ita à ventis excitari & crescere , prout bru-males excitantur , & crescunt . Vellem adessent hic , quos maximè deceret . Quærerem enim ab ingeniosissimis viris , quo modo ventus creetur (latinè loquor , non ut scholastici solent) ut hoc definito prius , sciremus denique , num alio , quām hiberno tempore , æque possit esse efficax , causa fluctuum , quam ventum esse diximus . Sed per-gamus tamen . Non puto plures assignarent mo-dos gignendi venti , quām quos brevissimè attigit Plinius *Nat.Hist.lib.2.cap.43.* Simili , inquit , mo-do ventos , vel potius flatus : posse & ex arido siccoque anhelitu terræ gigni non negaverim : posse & aquis aera expirantibus , qui neque in nebula densetur , nec crassescat in nubes : posse & Solis impulsu : (Joannes Harduinus merito legit , solo impulsu .) quoniam ventus non aliud intelligatur , quam fluxus aeris . Hæc Plinii verba indicant celeberrimas tres de vento opiniones , de quibus Aristoteles egit *lib.2.meteorol.cap.4.* Prima opinio censet , originem ventorum referendam esse ad terram . Sic Aristoteles docuit *d.lib. & cap.* eumque sequutus est Theophrastus , ut Olympiodorus testatur in *1.& 2.Meteor.* Eandem opinionem Stoicis attribuit Cicero *lib.2.de Divin.* cum ait , placere Stoicis eos
anbe-

anhelitus terræ qui frigidisunt, cùm fluere cœperunt, ventos esse. Secunda opinio censet, referri debere ad aquam. Hoc Metrodorus sensit, qui apud Plutarchum lib.3. de *Plac.Philosopb.* cap.7. definivit ventum, *aquosi anhelitus æstum*. Addendus etiam Vitruvius lib.1. cap.6. Tertia opinio censet, nihil aliud ventum esse, nisi agitatum aera, cuius opinionis omnium antiquissimæ fuit autor Hippocrates, qui lib.1. de *flatibus* definivit ventum, *aeris fluxum*, & *suffusionem*: quam sententiam defendit Anaximander apud Plutarchum lib.3. de *Placit. Philosoph.* cap. 7. Anaxagoras apud Laertium. T. Lucretius lib.6. L. Seneca lib.5. *Quæst. Nat.* cap. 1. & novissimè omnium amicissimus mihi Thomas Vincentius Tosca, cui viro dubito, an Valentina Academia æqualem alium tulerit, inge-
nio, judicio, doctrina, candore. Venit hic in men-
tem Ennianus ille Neoptolemus, cuius senten-
tiam (nunc) ego maximè probo.

*Philosophari mihi est necesse: at paucis, nam om-
nino haud placet.*

Quæcumque opinio ex iis eligatur, nullo mo-
do efficietur, ut hiberno tempore majores venti
sint, & à ventis majores tempestates, ab his fluc-
tus maximi. Nam, si ab halitibus terræ prove-
niunt venti (ut prima sententia tenet) hiberno
tempore minor halituum copia à terra emitti-
tur; cùm frigus terram comprimens spiracula
ejus præcludat. Quod si vaporess aquæ ventum
gignunt (quod secunda ait sententia) major va-
porum copia excitatur verno, & autumnali tem-

po-

pore , quām brumali , cùm eo tempore pluviae
frequentiores sint. Præterea nullum aliud tem-
pus nebulosum æquè , ac hibernum. At certum
est, tunc minimè ventum esse , cùm aer nubilus
est, ut observavit Seneca *Quæst. Nat. lib. 5. cap. 3.*
Denique, si ventus sit ipse aer agitatus (quæ ter-
tia sententia est) eodem modo concludo. Nam
multò plures quām in bruma sunt in alio quovis
tempore halitus, ac spiritus falsi , nitrosique , qui
è telluris visceribus ignis subterranei vi , aut è
mari solis ardore, & ope educuntur; qui cùm fa-
cile rarescant, majorem extensionem quærentes,
impellunt , agitantque aerem quantà possunt vi,
cumque huc illuc protrudentes , ventos cident,
qui quaquaversus terras , ac maria perflant , ac
tempestates excitant. Quod si cui non placet hæc
philosophandi ratio ; cùm ipse aer se agitare ne-
queat , scire vellem, à qua re agitetur ? An hæc
agitationis causa efficacior erit brumali, quām re-
liquo tempore? At quæ est ejusmodi cauſa ? Ag-
nosco meam inscitiam. Invenire nequeo. Igitur,
cùm cauſa fluctuum maximorum , ventus icili-
cket, tempore brumali minimè sit efficacior, pro-
fus alienum est à ratione, dicere , *hibernum* maxi-
mum fluctum in definitione Justiniani significa-
re brumalem. At quæ cauſa impulit Inititio-
num interpres ut hoc assererent? Dicam libe-
rè: dicam ut sentio. Vulgi falso præjudicium.
Certè Posidonius fuit ad hoc deceptus , cùm
de Oceani æstibus à Gaditanis vellet doceri. Ait
enim Strabo *lib. 3. circa finem. Gaditani Posido-*
nium

nium in errorem adduxerunt, qui eis renunciarunt circa brumam, & solstitium maximos aestus fieri, minimos in duobus aequinoctiis. Itaque maximi aestus sunt in duobus aequinoctiis, minimi bruma, atque solstitio. Forte Gaditanos ipsos decepit, quod vidarent tempore hiberno maria claudi ob frequentiores tempestates. Sed aliud est, has frequentiores esse: aliud maiores. Hiberno tempore mare saepius agitatur tempestatibus, sed non agitatur magis. Frequentia tempestatum facit, ut tempore hiemis navigatio saepè periculosa sit, & semper incerta, *l. civitas 6. C. de offic. Rect. Prov.* adeoque ut tempore hiberno claudantur maria. Appositè Vegetius *lib. 4. de Re mil. cap. 39.* A novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum biemalis occasus. Ex die igitur tertio iduum novembris usque in diem sextum iduum martiarum maria clauduntur. Lucanus *lib. 5.*

.... *Clausas ventis brumalibus undas
Invenit, & pavidas hiberno sidere classes.*

Quandocumque igitur mare clauditur, non ratione temporis, sed tempestatis clauditur. Cassiodorus *Variar. lib. 12. cap. 24.* Cum ventis saevientibus mare fuerit clausum. Atque hoc justissimæ querellæ ansam dedit Plinio, qui in avaros invehitur propterea quod ipsis mare nunquam clausum est. Nec tamen (inquit) saevitia tempestatum cludit mare. Piratae primuin coegere mortis periculo in mortem ruere, & hiberna experiri maria. Nunc idem hoc avaritia cogit. *Nat. Hist. lib. 2. cap. 47.* Post hiemem

ve-

verò ; quia minus frequentes sunt tempestates, aperitur mare, & navigatio redit. Horatius Carm. lib. i. Ode 4.

Solvitur acris hiems grātā vice veris, & favoni

Trabuntque siccas machinae carinas.

Plinius Nat. Hist. lib. 2. cap. 47. Ver ergo aperit navingantibus maria: cuius in principio , favonii hibernum molunt cœlum, sole Aquarii xxv. obtinente partem. Sed non quia mare post ver, apertum est, nullæ esse possunt tempestates eo tempore, æquè vehe-mentes , ac hiberno. Maximus igitur fluctus in definitione Justiniani non est ille fluctus, qui om-nino esse debeat hiberni temporis , cùm possit fieri, ut alijs temporis fluctus major sit. Cur igi-tur *bibernus* dicitur? Uno verbo respondeo : quia maximus fluctus quandocumque eveniat, hiber-nus, idest, tempestate agitatus est. Hæc Proposi-tio est quam dictavi: hæc quæ cachini facili cen-surâ irrita est : cùm tamen hic intellectus Justi-nianici §. omni vitio careat, & manifestè colligatur ex verbis ipsius imperatoris ; quod in ambigua voce oportebat inquirere , l. in ambigua 19. de leg. Hæc adeo in comperto sunt , ut contra si quis sen-tiat, nihil sentiat. Certe non audivimus , contra-riam aliquam rationem. Et tamen in alia omnia, non discelsio honesta , sed secessio indigna , facta est. Verissimè dixit Laberius.

Caput sine lingua pedaria sententia est.


Nos Disputationem satis produximus. Suprema subest tempestas.


Hæc

Hæc , & plurima alia , quorum meminisse
nequeo , audivi ego disputantem Greg. Majan-
sium , spretâ injuriâ insignissimâ animo infracto
& excuso. Quam Disputationem ne quis in-
tempestivam judicet , scire debet , in Valentina
Academia moris esse , ut Disputationibus illis ,
quæ vulgo dicuntur Sabbatinæ , veluti Pacifica-
tores & Arbitros sese interponere soleant Pro-
fessores publici , quoties occasio posset . Cui
officio Majansius adesse voluit , & verò debuit ,
ut dignitatem & justueretur suum adversus igna-
vissimos fucos , maledicentiæ aculeis se contge-
re conantes : quos nullâ aliâ re procul à se abe-
git , nisi moderatione , & doctrinâ , dans profecto
grande prudentiæ , & eruditionis suæ documen-
tum . Nihil itaque respondit contumeliosis dic-
tis , memor (sine dubio) ejus , quod Cornelius
Tacitus dixit , *vitium parvis , magnisque civita-*
tibus commune , ignorantiam recti , & invidiam.
Quid , si etiam voluit , malevolos invidosque
suos non aliâ pœnâ plecti , quam suâ ipsorum
conscientiâ ? Nam , si aliquam cordis habent
particulam , certè debet illos pigere , atque etiam
pudere facti sui . Quanquam asseverari audivi ,
esse qui adhuc glorientur de re optimè gestâ .
Scilicet homines egregii humanitatem suam of-
tenderunt publicè . Academiæ Rectorem , & A-
cademiam ipsam maximè sunt reveriti . De Ju-
risprudentiæ studiosis optimè meriti sunt . Dis-
putationibus solitis jussus est cludi ludus . Quin
& saluti ipsius Majansij bene consuluisse viden-
tur ,

tur, & labori ejus pepercisse: quia, neque discipulis suis debebit posthac (præter publicarum trium explicationum recitationem quod id anam) dictare, quæ defendant, quæ argumententur, quæ intra diem unum solemní more recitent. Euge igitur viros bono publico natos!

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis!





VARIOS

© Biblioteca Valenciana